IVLII ROSCII HORTINI

LVSVS PASTORALES

PERILL. D. D. PROSPERO A' BAVMA COMITI MONTISRIVELLI, ET PERPETVO COMMENDATARIO COENOBII CARILOCI BISVNTINAE. D. D. D.

Aonios inter, PROSPER Clarissime, Vates,
Dum feris arguta dulcia fila lyra.
Hos, & si ruris cantus, ne despice: Apollo
Lata per Admeti pascua duxit oues.

ROMAE,
Apud Iacobum Ruffinellum.
M. D. XC.
Permissu Superiorum.

In recessum Hortinum.

IRrigui fontes, & dulcia rura parentum,
Terraque delicias inter habenda meas.
Te Salices oleaeque, & iuncta vitibus vlmi,
Velat & Herculeis populus alba comis.
Te pirus, atque nuces, & odora cydonia ditant,
Et Ceres, & pleno copia larga sinu.
Quis neget egelidos fontes duxisse Napaeas,
Aruaque Pomonae culta fuisse manu?

In fontem Pineum.

HIc fons est, cuius latices placuere camaenis,
Cuius, & è pleno Delius amne bibit.
Hic cytharas Pan appendit, calamosque sonantes,
Hic & Nympharum dulcia plectra chori.
Murmure dum rauco fons perstrepit, assonat aether,
Assonat & plausu Tybridis vnda suo.
O fons illustris Musarum dignus in hortis
Perpetuo vatum candida labra riges.

Tybris ad Victorillam.

HOrtinos q̃ lãbit agros vagus Albula lymphis,
Labitur & tacito per mea rura pede
Vt Victorillam vidit, splendore nitenti
Perfusus, proprijs condidit ora vadis.
Atque ait ô Venus, aut Veneris de stirpe, fluenta
Haec cole. Perpetuo seruiat vnda tibi.

Applau-

Applausere vna nymphæ, cantumque dedere:
Hæc vos de fluuijs sidera ad alta trahet.

In hortos Achillis Mafaei Antiquar.

H*Vius florentes hortos ingressus agelli*
Dic salue, & domino dic bona verba loci.
Cernis vt arridet cælum? Circumspice campos,
Et fontem irriguum subsilientis aquæ.
At caue surgentes flores decerpseris vllos.
Lumina fas solum pascere, fonte frui.

In Narcissum.

H*Ic est ille puer, quondam quem mille puellæ,*
Et nymphæ iungi quem cupiere sibi.
Adstitit ad fontem, seque vt conspexit in vndis
Deperijt formæ captus amore suæ.
Lumina nigra videt, sparsumque in crinibus aurũ,
Inque genis spectat lilia mista rosis.
Carpitur igne suo Narcissus. Desinit esse,
Et secus irriguas flos nitet almus aquas.
Quid non forma potest, si se met lædit amator,
Vritur, & specie si puer ipse sua?

Amynthæ casus.

F*Allaces auibus laqueos dum nectit Amynthas,*
Retiaq; in viridi gramine tenta latent;
Ecce pedem illaqueat spiris ingentibus anguis,
Lætifero morsu tactus, & ille perit.
Infelix auibus laqueo mortem ipse parabat,
Nec solito laquei vulnere pressus obit.

Ad hyemem ne lœdat Liuillam.

Candida hyēs tibi terra tuos populatur honores
Et liquidas gelido frigore durat aquas;
Pura tamen facie, non ſole ardente peruris
Dum pratis errat Liuia pulchra meis:
Nec ſudore genas, nec crinem puluere turpas,
Pallida nec triſti pectora febre quatis.
Te precor hoc vnum, campos ne flumina inundēt,
Nec rigeat Nympha candida planta gelu:
Illa tibi nectet viridantia ſerta ſub vmbris,
Cum placida optati tempora Veris erunt.

In Veris ortum.

Ridentes nitidum dum Ver aperitur in auras,
Lætaque ſe vario flore coronat humus,
Nympha reuiſit agros, gelidaque tepente pruina
Aethere iam ducit lucidiore choros.
Ergo age quid properas? Noſtros Ver incole cāpos:
Quid mutat toties improba terra vices?

Ad fontem in diſceſſu Lillæ.

O Fons irrigue, ò fonti vicina canoris
Silua comis, circum dū ſtrepit aura iugis
Me iuuat, & mœſta modulari carmen auena,
Et prope te querulæ tangere fila lyræ.
Nam mihi quid reliquū Lilla ſine, dulce, relictū,
Quæ fuerat vitæ maxima cura meæ?
Vos nemora exaudite alti ſuſpiria cordis,
Voſque feræ lacrimis illacrimate meis.

Deplorat agnos subreptos.

DEpulsos quicumque suis è matribus agnos
Abripuit vere ferreus ille fuit.
Illi bina die siccabant vbera matris,
Et fuerant nostri spesque, decusque gregis.
At vos seu lati salices depascitis arui,
Siue intra septum fur malus ille tenet,
In domini properate sinus. Hic pabula, & antra,
Hic plena egelidas vrna refundit aquas.

In obitum Victorillæ.

HOc Victorillam tumulo prope Tybridis vndā
Texit Acon curas, deliciasque suas.
Illo flente simul tristes fleuere camenæ,
Tristibus, & Charites immaduere genis.
Luxit Amor, luxitq; Venus, nymphæq; propinquæ,
Audita querulos ore ciere modos.
Hinc lacrymis auctus solito magis assonat amnis
Flens Victorillæ funera acerba suæ.

Ad Lillam pro Amore.

QVē cernis durā ad quercū post terga reuinctū
Ille Amor est toto pectore candidulus.
Te vocat, amplexusque tuos petit. Aurea solue
Vincula, & inuicto parce puella Deo.
Tu pharetram redde oranti, sua spicula, & arcus.
Sat si pro telis lumina Lilla geras.

In

In ſomnum.

SOmne veni, placidus feſſis allabere membris,
Somne veni: inuitat te leue murmur aquæ.
Ecce venit, furtim ſeſe in præcordia condit;
Fer puer huc gelida pocula tincta niue.
Vina graui dement mordaces pectore curas:
Dulcior irrepet fonte ſonante quies.

In Phœbi, & Daphnes transformationem.

VIdit vt igne calens, ictuſq; cupidinis arcu
Phœbus per longæ littora Thœſſaliæ
Te primum patulis protendere brachia ramis
Daphne, & cœruleis pectora corticibus
Complexus virideſque comas, complexus & ora
Mutata in truncum ſic ait illacrimans.
Et vos ite mea in duros ô brachia ramos,
Inque pedes radix expatiere licet.
Quod ſi dure negas. Viuat mihi reddita Daphne,
Atque agat optatos læta per arua choros.

In Hylam aquis merſum.

PVlcher Hylas dũ forte vrna male cautus inani
Haurit ab extremo gurgite fontis aquam;
Labitur infelix præceps, vrnamque ſecutus
Occuluit fontis lapſus in ima oculos.
Spectabant Dryades trepidanti pectore circum:
Obuia protenſo tegmine Nais adeſt.
Hoc reor optaſtis nymphæ: quo pocula vobis,
Miſceat infuſo nectare pulcher Hylas.

Ad Amorem dormientem.

DVm placidũ ad fontẽ, leniq; instratus in alga
Fessus Amor dulci membra sopore leuat;
Nympha vagans, quæ læsa prius fuit, icta dolore,
Eripit atque arcus, eripit atque faces.
Nec mora: flãma furit teneras spatiata medullas;
Lillaque solliciti nescia amoris amat.
Ne solum vigilem timeas: ne despice inermem.
Et somno pressus spicula torquet Amor.

Epitaphium Liuillæ.

NOn vnquã infestæ soluãt tua stamina Parcæ
Sola animo, atque oculis Liuia grata meis.
Hoc video; sed dura negat mors: cuiq; sepulchri est
Certa dies. Heu heu tu quoque puluis eris.
Ergo tunc lacrymans muto sub marmore manes
Condam quà placidas Albula voluit aquas:
Inscribam, & tumulo sacri monumenta doloris
Carmina, quæ fluuij plurima nympha legat.
Mœstus Acon tumuli sacro hoc me donat honore,
Illius, extincta me, quoque viuit Amor.

In Nympham fontis custodem.

HIc molli indulgens somno secura quiescit
Nympha loci ad murmur dulce cadẽtis aquæ
Eminet in vitreo pellucens amne lapillus,
Et concha è vario tincta colore micat.

Additur, & fonti decus ingens: ipsa sub vndis,
Pulchrior arridens ludit imaginibus.
Hic amens, stupidusque hærens miratur vtramq;
Oblitus pastor fonte leuare sitim.
Tantum forma mouet vana sub imagine, tantum
Excisa in duro marmore Nympha potest.

Iuncarus Perillustris Prosperi
à Bauma.

ASpice vt in nigris imitetur serica villis,
Iuncarus vt floccis auribus inuigilet.
Non illo canis est festiuior. Vnus herile
Imperium exequitur, subsequiturque comes.
Ante torum Domini vigil excubat: omnia sentit,
Et vix digna fide est in cane mira fides.
Hoc vnum dolet; officijs pro mille, negata
Libertas, & quod colla cathena premat.

Reducit gregem in caulas.

HEsperus auratum cæli de vertice crinem
Explicat, & tremulis luna renidet aquis.
Ite meæ mecum. nox imminet atra; capellæ,
Ite mei ad caulas, clausaque septa greges.
Cras mecum salices iterum carpetis amaras,
Compelletque suas huc Meliseus oues:
Dumq; ille ore madens calamos inflabit acutos,
Ipse canam, ducet cetera turba choros.